Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. *Matth.* 12. 32

Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſi tamen quaſi per ignem. *1.Cor.* 3.13

Fideles inveniuntur, qui ſe baptizant pro mortuis, (per baptiſmum autem hic intelligitur jejunium, lacrimæ, afflictiones, vigiliæ, & alia opera pœnalia, per quæ ſuccurrunt defunctis in Chriſto iidem fideles. Ibid. 15.29. Vide Luc. 12.50. Marc. 10.38.)

Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. *Phil.* 2.10

Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino in illa die. Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, ut melius noſti. *1.Tim.* 1.18

Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. *1.Jo.* 5.16

Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum. *Apoc.* 5.3. Et omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, &c. *v.* 13

Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. *Tob.* 4.18

Mortuo non prohibeas gratiam. *Eccli.* 7.37. Malach. 3.3

Puſillanimitas. Vide Formido.

Q

TITULUS I.

Quadrageſima.

Quadrageſimalis jejunii exempla.

INgreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. *Exod.* 21.18

Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis verba fœderis decem. *Ib.* 34.28. *Idem reperitur* Deut. 9.9

Et procidi ante Dominum ſicut prius quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia veſtra quæ geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam provocaſtis. *Deut.* 9.18

Qui cum (*Elias*) ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb. 3. *Reg.* 19.8

Et cum jejunaſſet (*Chriſtus*) quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. *Matth.* 4.2. Marc. 1.12. Luc. 4.1

TITULUS II.

Quæſtio.

Quæſtiones contentioſæ, vanæ, ac inutiles ſunt vitandæ.

QUi dixit ad mulierem (*ſc. ſerpens*) Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradiſi? *Gen.* 3.1. Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulcrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit. *v.* 6

Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. *Prov.* 25.27

Ne dicas: Quid putas cauſſæ eſt quod priora tempora meliora fuere quam nunc ſunt? ſtulta enim eſt hujuſcemodi interrogatio. *Eccleſ.* 7.11

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. *Eccli.* 3.22

Sedente autem eo (*Chriſto*) ſuper montem oliveti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt? (*ſcilicet everſio templi, bella, & perſecutiones*) & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi? *Matth.* 24.3

Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? *Joan.* 6.53. c. 21.21

Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *Actor.* 1.6

Nolite ſeduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala. *1.Cor.* 15.33

Non intendatis fabulis & genealogiis interminatis, &c. *1.Tim.* 1.4

Si quis aliter docet, & non adquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ: ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, &c. *Ibid.* 6.3

Profana autem & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus & Philetus. *2.Tim.* 2.16. Vide & v. 14

Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant lites. *Ibid.* v. 23

Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita: ſunt enim inutiles, & vanæ. *ad Tit.* 3.9

TITULUS III.

Quies.

Quieſcendum a peccatis.

HOc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. *Rom.* 6.6. *per totum caput.*

Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico: prævaricatorem me conſtituo. Ego enim per legem, legi mortuus ſum, ut Deo vivam. *Gal.* 2.18

Quies contingit populo Dei.

ITaque relinquitur Sabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus. *Hebr.* 4.9

Quietem & pacem certam conſequentur Juſti.

JUſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis --- illi autem ſunt in pace. *Sap.* 3.1. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. v. 4

O quam pulcra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines. *Ibid.* 4.1

Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulat in directione ſua. *Iſa.* 57.2

Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. *Luc.* 16.22

Et audivi vocem de cælo, dicentem mihi, Scribe; Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis. *Apoc.* 14.13

Quietem invenire animæ ſuæ.

HÆc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus veſtris. *Jer.* 6.16

Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. *Matth.* 11.29

R

TITULUS I.

Rapina.

Rapina damnatur.

RApinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium. *Prov.* 21.7

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit. *Ib.* 22.16

Væ qui prædaris: nonne & ipſe prædaberis; *Iſa.* 33.1. Vide & Ezech. 22.25

Rapinæ & ſpoliationis exempla.

ET depopulati ſunt urbem in ultionem ſtupri. Oves eorum, & armenta, & aſinos cunctaque vaſtantes quæ in domibus & in agris erant: parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas. *Gen.* 34.27

Feceruntque filii Iſrael ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis: & ſpoliaverunt Ægyptios. *Exod.* 12.35

Egreſſuſque eſt (*rex*) Sehon obviam nobis cum omni populo ſuo ad prælium in Jaſa. Et tradidit eum Dominus Deus noſter nobis --- cunctaſque urbes in tempore illo cepimus --- non reliquimus in eis quidquam, &c. *Deut.* 2.32

Amalecitæ Siceleg, abſente David, incenderant; ablata præda, quos David perſequens occidit recepta præda. 1. *Reg.* 30.16. Nec defuit quidquam a parvo uſque ad magnum tam de filiis, quam de filiabus, & de ſpoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit David. v. 19. Vide & 2. Reg. 23.10. 3. Reg. 21.15. 1. Par. 10.8. 2. Par. 14.13. c. 20.25. c. 28.8

obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi? *Hebr.* 9.13

Redimere novit Deus ſuos multis modis ex anguſtia.

L*Oth Angelis hoſpitio ſuſceptis a Sodomitis vim patiens, cum uxore & utraque filia, a Sodomitico ereptus incendio, uxorem in via amiſit. Gen.* 19. *per totum caput.*

Pharao Iſraelem perſequens, & mare per ſiccum poſt illum ingrediens, cum univerſo equitatu & curribus ſubmergitur. Exod. 14

Cumque intraſſet (*Jethro ſocer Moyſis*) tabernaculum, narravit Moyſes cognato ſuo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, & Ægyptiis propter Iſrael, univerſumque laborem qui accidiſſet eis in itinere, & quod liberaverat eos Dominus. *Ibid.* 18.7

Vide quam multipliciter & varie & mirabiliter Deus liberaverit David ab ira Saul. 1. *Reg. c.* 16. 17. 18. *uſque ad* 31. *Item liberationem populi Iſraelitici in Libro* Eſther *per totum. Item* Pſ. 4.9

Itaque cum vidiſſent principes equitatus Joſaphat, dixerunt: Rex Iſrael eſt iſte. Et circumdederunt eum dimicantes: at ille clamavit ad Dominum, & auxiliatus eſt ei; atque avertit eos ab illo. 2. *Par.* 18.31

Erubui enim petere a rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus Regi: Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium ejus, & fortitudo ejus, & furor ſuper omnes, qui derelinquunt eum. 1. *Eſdr.* 8.22

Quoniam tu es Domine, (*inquit David*) ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum. *Pſ.* 90.9. *Vide totum Pſalmum.*

Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, & auxiliatus ſum tibi: & ſuſcepit te dextera juſti mei. *Iſa.* 41.10

Noli timere (*Iſrael*) quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. *Ibid.* 43.1

Tunc Nabuchodonoſor rex obſtupuit, & ſurrexit propere, & ait optimatibus ſuis: Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? &c. *Dan.* 3.91

Et Daniel regi reſpondens ait: Rex in æternum vive: Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo juſtitia inventa eſt in me: ſed & coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gaviſus eſt ſuper eo, & Danielem præcepit educi de lacu — & nulla læſio inventa eſt in eo, quia credidit Deo ſuo. *Ibid.* 6.21

Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reſervare cruciandos. 2. *Petr.* 2.9

Redemptionis a peccatis ortus.

DOmine adjutor meus & redemptor meus. *Pſal.* 18.15

Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. *Ibid.* 110.9

Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio: Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus. *Ibid.* 129.7

Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram. Quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erat qui audiret, numquid abbreviata & parvula facta eſt manus mea, ut non poſſit redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum? *Iſa.* 50.1

Modus.

SOlve vincula colli tui captiva filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini. *Ibid.* 52.2

Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es: & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, &c. *Apoc.* 5.9

Fructus.

GAudete, & laudate ſimul deſerta Jeruſalem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Jeruſalem. *Iſa.* 52.9

Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate. *Tit.* 2.14

T I T U L U S VII.

Regeneratio.

Regeneratio, Dei opus eſt.

HÆc dicit Dominus; faciens & formans te, ab utero auxiliator tuus. *Iſa.* 44.2. *Vide &* v. 21

Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. *Joan.* 1.13. Epheſ. 1.19

Ipſius enim (*Dei*) ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu, &c. *Epheſ.* 2.10

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, &c. &c. 1. *Petr.* 1.3

Interdum tamen ad commendationem miniſterii hominibus tribuitur.

NAm in Chriſto Jeſu, per Evangelium ego vos genui, *inquit Paulus.* 2. *Cor.* 4.15

Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo. *ad Philem.* v. 10

Regeneratio neceſſaria eſt.

NIſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. *Joan.* 3.5

In Chriſto enim Jeſu: neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura. *Galat.* 6.15

Ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus. 1. *Petr.* 2.24

Regeneratio eſt mutatio carnis in ſpiritum.

REſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi (*Nicodeme*) niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. *Joan.* 3.5

Carnalium affectionum, in ſpiritualem affectum.

QUi enim ſecundum carnem ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui vero ſecundum ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritus, ſapiunt. *Rom.* 8.5. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. v. 13

Infidelitatis in fidem.

QUotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Joan.* 1.12

Omnes enim filii Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Gal.* 3.26

Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo. 1. *Joan.* 5.1

Innovatio mentis per Spiritum Sanctum.

CUm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum. *ad Tit.* 3.4

Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem. Abba Pater. *Gal.* 4.6

Atque adeo carnalis naturæ, in divinam naturam.

PEr quem (*Jeſum*) maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. 2. *Petr.* 1.4

In quo (*Chriſto*) & circumciſi eſtis, circumciſione non manu facta in exploratione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti. *Coloſſ.* 2.11

Ut qui mali ſumus ſanctificemur.

ET hæc quidam fuiſtis (*ſcilicet fornicarii, idolis ſervientes*): ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. 1. *Cor.* 6.11. Epheſ. 5.8

Regenerati interius, etiam exterius in novitate vitæ ambulemus.

IN *Chriſto baptizati ſumus, ut mortui peccato, deinceps* in novitate vitæ ambulemus, *ſicut Chriſtus ſemel mortuus, ac ſepultus, ad novam vitam, non amplius moriturus reſurrexit, &c. Rom.* 6. *per totum caput.*

Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ. *Ibid.* 7.6

Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. *Ibid.* 12.1

Chriſtiani qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. 2. *Cor.* 5.15. 2. Petr. 4.1

Deponite vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, &c. *Epheſ.* 4.21

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum. *Coloſſ.* 3.9

Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. 1. *Cor.* 5.7

T I T U L U S VIII.

Regnum & Reges.

Vide & Superiores, & Magiſtratus, & Prælati.

Rex juſtus, a Deo eſt, & regni ſtabilimentum.

SIcut diviſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud. *Prov.* 21.1

Rex juſtus erigit terram. *Ibid.* 29.4

Reges quid facere, quidve fugere debeant.

POſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a ſacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque

Et protulit inde (*Nabuchodonoſor ex Jeruſalem*) omnes theſauros domus Domini, & theſauros domus regiæ: & concidit univerſa vaſa aurea, quæ fecerat Salomon rex Iſrael in templo Domini, juxta verbum Domini. *4.Reg.*24.13. 1.Mach.1. v.3.20.&33. & c.6.12

Igitur Achaz, ſpoliata domo Domini, & domo regum ac principum, dedit regi Aſſyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. 2.*Par.*28.21

Per dies triginta vix collecta ſunt ſpolia Aſſyriorum a populo Iſrael. Judith 15.13

T I T U L U S II.

Ratio.

Rationem Deo quiſque pro ſe redditurus eſt.

DIco autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matth.*12.36

Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorum homini Regi qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. *Ibid.*18.33

Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis, & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris, &c. *Ibid.*25.31. *per totum caput.*

Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. *Rom.*14.12

Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. 2.*Cor.*5.10

Rationem ſpei noſtræ cuilibet reddere parati eſſe debemus.

DOminum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. 1.*Pet.*3.15

T I T U L U S III.

Rebellio. Vide & ſeditio.

Rebellionis exempla.

DIxitque Moyſes ad eos: Nullus relinquat ex eo (*Manna*) in mane. Qui non audierunt eum (*Iſraelitæ*) — & iratus eſt contra eos Moyſes. *Exod.*16.19. Vide & Num.14.4. c.26.9. *Seditio Core, Dathan, & Abiron. Num.*16. *Vide & exemplum.* 3.Reg.11.26. *de Jeroboam.* c.16.9. *de Zambri.* c.20.32. *de ſervis Benadad.* 4.Reg.17.14. *exemplum Oſee.* c.42.1. *Joakim.*

T I T U L U S IV.

Recidivatio.

Recidivatio ſocorditer committitur.

SIcut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. *Prov.*26.11

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. *Jer.*2.36

Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico: prævaricatorem me conſtituo. *Gal.*2.18

Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam. *Hebr.*6.4. Vide etiam cap.10. v.26

Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. 2.*Petr.*2.10

Graviter punitur.

VÆ his, qui perdiderunt ſubſiſtentiam; & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. *Eccli.*2.15

Sed & ſi converſus juſtus a juſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo — in peccato ſuo morietur. *Ezech.*3.20

Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens, invenit eam vacantem, ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. *Matth.*12.43

Salu-

Salubriter relinquitur.

ECce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Jo:* 5.14

Vade, & jam amplius noli peccare. *Ibid.*8.11

Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? *Rom.*6.2

Evigilate juſti, & nolite peccare. 1.*Cor.*15.34

T I T U L U S V.

Reconciliatio.

Reconciliatio cum Deo per Chriſtum.

SI enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus: multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius. Non ſolum autem: ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. *Rom.*5.10

Omnia autem (*ſunt*) ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. 2.*Cor.*5.18

Placuit Deo per Chriſtum reconciliare omnia in ipſum, &c. *Coloſſ.*1.20. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, &c. v.22

Reconciliatio cum fratre præcipitur.

SI ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Eſto conſentiens adverſario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adverſarius judici: judex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris. *Matth.*5.23

Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum: ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, &c. *Jac.*5.19

Recta intentio. Vide Intentio recta.

T I T U L U S VI.

Redemptio.

Redemptio per Chriſtum facta.

FIlius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis: *Matth.*20.28. *idem vide* Marci 10.45

Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. *Rom.*3.24

Chriſtus Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. *Ibid.*4.25

Ut quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? *Ibid.*5.6. *Si cum adhuc eſſemus peccatores* Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum. v.9

Chriſtus factus eſt nobis ſapientia a Deo, juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. 1.*Cor.*1.30

In quo (*Chriſto*) habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum. *Epheſ.*1.7. *Eadem verba* Coloſſ.1.14

Converſi eſtis ad Deum a ſimulacris, ſervire Deo vivo & vero, & exſpectare filium ejus de cælis, quem ſuſcitavit ex mortuis, Jeſum, qui eripuit nos ab ira ventura. 1.*Theſſ.*1.9

Unus enim Deus, unus, & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. 1.*Tim.*2.5

Chriſtus per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa. *Hebr.*9.12

Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis — ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, &c. 1.*Petr.*1.18

Redemptionis noſtræ finis.

UT ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi; in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. *Luc.*1.74

Chriſtus elegit nos in ipſo —, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate, &c. *Epheſ.*1.4

Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. *ad Tit.*2.14

Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum

 obtu-

illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. *Deut.* 17. 18

Filiis Samuelis ad avaritiam declinantibus, petit populus ſibi regem, quibus Samuel jubente Domino, jus regis prædicit, ſed non auditur. 1. *Reg.* 8

Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te regem, ut faceres judicium & juſtitiam. 3. *Reg.* 10. 9. 2. Par. 9. 1

Conſtituitque (*Joſaphat*) judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per ſingula loca, & præcipiens judicibus: Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit, &c. 2. *Par.* 19. 5

Reges & Judices ad ſapientiam & juſtitiam ſectandam exhortatur, oſtendens quam grave maneat injuſtis rectoribus ſupplicium, &c. Sap. 6. *Item c.* 9. *per totum.*

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job* 34. 30

Et nunc reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram. *Pſ.* 2. 10. Pſ. 100. *per totum.*

In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis. *Prov.* 14. 28

Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas ejus. *Ibid.* 19. 11

Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo. *Ibid.* 20. 8. Diſſipat impios rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem. v. 26

Leo rugiens, & urſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem. *Ibid.* 28. 15

Rex juſtus erigit terram, vir avarus deſtruet eam. *Ibid.* 29. 4. Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. v. 14

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas: & ne forte bibant, & obliviſcantur judiciorum, & mutent cauſſam filiorum pauperis. *Ibid.* 31. 4

Audi verbum Domini, rex Juda, qui ſedes ſuper ſolium David: tu & ſervi tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas iſtas. Hæc dicit Dominus: Facite judicium & juſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris, &c. *Jer.* 22. 2

Reges ac principes religionis curam ſuſcipere debent.

SUrrexitque David, & abiit, & univerſus populus --- ut adducerent arcam Dei, &c. 2. *Reg.* 6. 2

David proponit ædificare Domum Domini, ſed a Domino prohibetur, & filius ei promittitur ædificaturus. Ibid. 7

Pius Rex Joſaphat mittit Doctores legis Dei per univerſam Judam. 2. *Par.* 17

Habitavit ergo Joſaphat in Jeruſalem: rurſumque egreſſus eſt ad populum — & revocavit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum. *Ibid.* 19. 4

Ezechias abolitum Dei cultum, aperto templo, reſtitutiſque Sacerdotibus, Levitis, & cantoribus, inſtaurat, oblatis plurimis holocauſtis & ſacrificiis cum ingenti lætitia. Ibid. 29

Regum ac Principum vitia non ſunt diſſimulanda.

D*Ixit Elias ad Regem Achab*: Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. 3. *Reg.* 18. 18. *ſimile vide* 4. Regum 3. 13. *in Eliſeo.*

Dicebat enim illi Joannes (*Regi Herodi in faciem*): Non licet tibi habere eam, *ſc. uxorem fratris tui. Matth.* 15. 5

Regnum Chriſti dicitur gloria illa, quæ in Chriſto poſt reſurrectionem eluxit.

SUnt quidam de his ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo. *Matth.* 16. 28

Regnum Dei potentia.

TUa eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo ſunt, & in terra, tua ſunt; tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tuæ divitiæ, & tua eſt gloria: tu dominaris omnium: in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo, & imperium omnium. 1. *Par.* 29. 11

Quoniam Domini eſt regnum: & ipſe dominabitur Gentium, *Pſal.* 21. 29

Dominus in cælo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur. *Ib.* 102. 18

Confiteantur tibi Domine, omnia opera tua --- Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur: ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. *Ibid.* 144. 10

Poteſtas ejus (*Dei*) poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei: Quare feciſti? *Dan.* 4. 31. *Vide ſimilia c.* 6, 26

Re-

Regnum Gratiæ.

ET circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. *Matt.* 9. 35

Quia vobis, (*inquit Chriſtus ad diſcipulos*) datum eſt noſſe miſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum. *Ibid.* 13. 11

Non eſt enim regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. *Rom.* 14. 17

Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. 1. *Cor.* 4. 20

Hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio. *Coloſſ.* 4. 11

Regnum Gloriæ.

BEati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *Matth.* 5. 3

Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. *Ibid.* 13. 43

Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. *Ibid.* 25. 34

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Actor.* 14. 21

An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? &c. 1. *Cor.* 6. 9

Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit. *Ibid.* 15. 50

Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte. 2. *Tim.* 4. 18

Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis --- Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri. 2. *Pet.* 1. 10

Et audivi vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos --- Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem: Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. *Apoc.* 12. 10

Regnum Cælorum.

Eccleſia Dei poſt Chriſti plenam manifeſtationem ſub Evangelio.

QUi ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. *Matt.* 5. 19.

Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum. *Ibid.* 18. 4

Pro publica Evangelii prædicatione.

SImile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo, &c. *Matt.* 13. 24. *Vide & v.* 45. *item* 47. *&* 52

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. *Ibid.* 20. 1

Pro Eccleſia renovatione.

PŒnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. *Matth.* 3. 2. *idem* c. 4. 17. 5. 19.

Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum: Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date, &c. *Ibid.* 10. 7. cap. 22. 2

Regnum Dei vim patitur.

A Diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matt.* 11. 11

Lex & prophetæ, uſque ad Joannem; ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit. *Luc.* 16. 16

Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. *Apoc.* 21. 7. Galat. 5. 16. Apoc. 2. & 3. Cap.

Regnum Dei ſpirituale internum & externum.

NOn auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. *Gen.* 49. 10

Videbo eum, ſed non modo; intuebor illum, ſed non prope: orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17

Dominum formidabunt adverſarii ejus: & ſuper ipſos in cælis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. 1. *Reg.* 2. 10

Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. *Pſalm.* 2. 2. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus. v. 6

Et Dominus in æternum permanet. Paravit in judicio thronum ſuum, &c. *Pſalm.* 9. 8

Reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium. *Pſalm.* 21. 28. Pſal. 71. 1. Pſal. 109

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis virga regni tui. *Pſalm.* 44. 7

Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur. *Pſal.* 144. 11

Par-

Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. *Iſa.* 5. 6. Ibid. 32. 16

Vaticiantur Chriſti nativitas, judicium, exaltatio, converſio populorum, & gentium ad Chriſtum & gloria ſepuleri ejus. Item converſio reliquiarum Iſrael ad Deum, ac fides gentium. Ibid. 11

Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus veſter, &c. *Iſai.* 40. 9. Ibid. 42. 1. Jerem. 33

Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo David germen juſtum: & regnabit rex, & ſapiens erit: & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus Juſtus noſter: *Jere.* 23. 5. Dan. 9. 24. Oſee 3. 5

Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. *Ezech.* 34. 23. Ibid. 37. 24

In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum. *Dan.* 2. 44

Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur. *Ibid.* 7. 14. Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum Altiſſimi: cujus regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſervient ei, & obedient. *v.* 27. Ibid. 9. 24. 25.

Et erit: in noviſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum populi. *Micheæ* 4. 1. Ibid. 5. 1

Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem: ecce rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. *Zach.* 9. 9

Adveniat regnum tuum. *Matt.* 6. 10. *Idem* cap. 13

Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28

Verumtamen quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. *Ibid.* 12. 31. Ibid. 22. 29

Ecce enim regnum Dei intra vos eſt. *Luc.* 17. 21. Joan. 6. 14

Reſpondit Jeſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo; Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc. *Joan.* 18. 36

Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. 1. *Cor.* 4. 20

Regi autem ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo, honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. 1. *Tim.* 1. 17

Thronus tuus Deus, in ſæculum ſæculi: virga æquitatis, virga regni tui. *Hebr.* 1. 8. Ibid. 1. 9

Regnum Dei percipitur.

QUærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, &c. *Matt.* 6. 33

A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Ibid.* 11. 12.

Simile eſt regnum cælorum homini patriſamilias — Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. *Matt.* 20. 1

Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dextram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a patre meo. *Ibid. v.* 23

Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ: in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum. *Coloſſ.* 1. 13

Nam ſi commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11

Negligitur.

DIco autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. *Matt.* 8. 11

Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Joannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei. *Ibid.* 21. 31

Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. *Ibid.* 22. 2.

Intravit autem rex, &c. *Ibid. v.* 11

Tunc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus, &c. *Ibid.* 25. 1

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et miſit ſervum ſuum hora cœnæ

dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. *Luc.* 14. 16

An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. 1. *Cor.* 6. 9

Stabilitur.

IN diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur. *Dan.* 2. 44

Et dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. *Luc.* 1. 32

Regnum terrenum conſilio firmatur.

AB uno ſenſato inhabitabitur patria, tribus impiorum deſeretur. *Eccli.* 16. 5

Et ipſe (*Deus*) mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque conſtituit. *Dan.* 2. 21.

Peccato diſſipatur.

REx inſipiens perdet populum ſuum: & civitates inhabitabuntur per ſenſum potentium (*ſc. prudentium*). *Eccli.* 10. 3

Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & deſtruxit eos uſque in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantavit humiles ex ipſis gentibus. *Eccli.* 10. 16

Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas uſque ad fundamentum. Areſecit ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum a terra. *Ibid. v.* 19

Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt, confidentes ſuæ virtuti: & non pepercit peregrinationi Loth, (*ſed percuſſit eos*) & execratus eſt eos præ ſuperbia verbi illorum. Non miſertus eſt illis, gentem totam perdens, & extollentem ſe in peccatis ſuis. *Ibid.* 16. 8.

Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam. *Iſa.* 24. 1. Diſſipatione diſſipabitur terra, & direptione prædabitur v. 3. quia tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt jus, diſſipaverunt fœdus ſempiternum. v. 5.

Propter hoc maledictio vorabit terram. *Ibid. v.* 6

Commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra ſicut ebrius, & auferetur, quaſi tabernaculum unius noctis: & gravabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adjiciet ut reſurgat. *Ibid. v.* 19.

Et erit cor fortium Moab in die illa, ſicut cor mulieris parturientis. Et ceſſabit Moab eſſe populus: quoniam contra Dominum gloriatus eſt. *Jere.* 48. 41

Illaqueavi te, & capta es Babylon, & neſciebas: inventa es & apprehenſa: quoniam Dominum provocaſti. *Ibid.* 50. 24

Conſiſtite adverſus eam per gyrum, & nullus evadat: reddite ei ſecundum opus ſuum: juxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta eſt, adverſum ſanctum Iſrael. *Ibid. v.* 29

Ecce oculi Domini Dei ſuper regnum peccans, & conteram illud a facie terræ. *Amos* 9. 8

Regna & imperia omnia in manu Dei ſunt.

HÆc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, &c. 3. *Reg.* 11. 31

Deus balteum Regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum. *Job* 12. 18. *Vide &* c. 34. 18

Deus mutat tempora & ætates: transfert regna, atque conſtituit. *Dan.* 2. 21

Cognoſcant viventes, quoniam dominatur Excelſus in regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominum conſtituet ſuper eum. *Ibid.* 4. 14. *eadem verba ibid.* v. 22. & 29

Sic reprobato a Deo Saul, David inter fratres minimus in regem ungitur. 1. *Reg.* 16

Deus interfecit *Saul*, & tranſtulit regnum ejus ad David filium Iſai. 1. *Par.* 10. 14

A Roboamo filio Salomonis, uti prædixerat, *& ordinaverat Deus, decem tribus avelluntur, & Jeroboamo committuntur cui Deus promiſerat.* 3. *Reg.* 11. 31. *& ex Monarchia fit Dyarchia.* v. 31. *conf.* c. 12. v. 21. 22. 23. 24

Sic regnum Juda transfertur in Nabuchodonoſor, uti dicit Deus. Jere. 27. 5. ego dedi omnes terras iſtas in manu *ejus*, &c. v. 6

Regnum Nabuchodonoſor transfert Deus ad Darium Medum. Dan. 2. 20

Regnum Balthaſaris ad Darium Medum. Ibid. 5. 31.

De quatuor regnis mundi. *Ibid.* 7. 1

Relapſus in peccatum. Vide Peccatum & ſupra Recidivatio.

Religio Chriſtiana. Vide Fides.

TITULUS IX.

Relinquere.

Relinquentes omnia propter Chriſtum centuplum accipient.

DIcit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deeſt? Ait illi Jeſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. *Matt.* 19. 20. *Idem verbatim* Luc. 18. 21

Reſpondens Jeſus ait: Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me & propter evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam. *Marc.* 10. 29. Matth. 19. 29. Luc. 18. 29

TITULUS X.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum & aliæ res Sanctæ ſunt venerandæ.

SOlve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Exod.* 3. 5. *Idem iniungitur* Joſue cap. 5. 16

Moyſes diſceſſurus ex Ægypto, honorifice tranſtulit oſſa Patriarchæ Joſeph. Exod. 13. 19

Sic Deus ſepelivit ipſe corpus Moyſis. Deut. 34. 6

Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. *Pſal.* 98. 5

Reliquiæ & veſtes Sanctorum quam vim a Deo habeant, quidque per eas operetur Deus. Ut per Arcam.

SIccatum Dei miraculo Jordanem, præeunte arca populus tranſit. Joſue 3. 16

Poſt varios ſeptem dierum circuitus cum arca, Jericho omnes muri corruunt, & urbs hac miraculo capta delitur. Ibid. 6. 12

Nuntiatumque eſt regi David quod benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia ejus, propter arcam Dei (*in ipſius domo commorante.* 2. *Reg.* 6. 12

Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus. *Ibid. v.* 11

E contra Oza a Domino occiſus eſt, quia iſtam temere tetigerat. Ibid. v. 6

Pallium Eliæ.

ELiſeus individuus Eliæ comes, Jordanem, aqua Eliæ pallio diviſa, cum illo tranſit, Elia autem in cælum igneo curru rapto, duplicem illius ſpiritum accipit, at pallio Eliæ rurſum Jordanis aquas dividit, &c. 4. *Reg:* 2. Percuſſitque aquas (*ſcilicet pallio Eliæ*) & diviſæ ſunt huc atque illuc (*aquæ*) & tranſiit Eliſeus. v. 14

Per oſſa Eliſei.

QUidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcrum Eliſei. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. 4. *Reg.* 13. 21

Et mortuum prophetavit corpus ejus (*Eliſei*). In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt. *Eccli.* 48. 14

Fimbria Chriſti.

ET ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero. *Matt.* 9. 20

Et rogabant eum ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: Et quicumque tetigerunt, ſalvi facti ſunt. *Ibid.* 14. 36. Marc. 6. 55

Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari: *hæc* acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus: & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus, *& ſanata fuit. Luc.* 8. 43

Sudaria Pauli.

VIrtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: Ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, vel ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur. *Actor.* 19. 12

Umbra Petri.

ITa ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur *omnes* ab infirmitatibus ſuis. *Actor.* 5. 15

TITULUS XI.

Remiſſio.

Remiſſio peccatorum, de hac certi eſſe non poſſumus; Vide Peccatum.

Item: Certi eſſe non poſſumus.

Remittendum proximo in nos peccanti.

MEmorare timorem Dei, & non iraſcaris proximo *tuo. Eccli.* 28. 8

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.

Qui

Qui autem dixerit fratri ſuo, Racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis, &c. &c. *Matt.* 5. 22

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Ibid.* 6. 12. Luc. 11. 4

Dicit illi Jeſus (*petenti quoties condonandum eſſet fratri ſuo in illum peccanti*) Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. *Ibid.* 18. 22. Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. v. 35

Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi. *Luc.* 17. 3. Matth. 18. 15

Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis. *Epheſ.* 4. 32

Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes invicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, & ita & vos. *Coloſſ.* 3. 12

TITULUS XII.

Repudium.

Repudii libellus.

SI acceperit homo uxorem: & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua, &c. *Deut.* 24. 1

Hæc dicit Dominus: quis eſt hic liber repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram. *Iſa.* 50. 1. Jerem. 3. 3

Cum odio habueris (*ſcilicet uxorem tuam*) dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael: operiet autem iniquitas veſtimentum ejus, dicit Dominus exercituum. *Malac.* 2. 16

Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Matt.* 5. 2

TITULUS XIII.

Reſignatio.

Reſignatio in divinam voluntatem.

FRatres Joſeph ob illatam fratri injuriam ſibi timentes, deprecabantur eum, ut hanc illis condonaret. Quibus ille reſpondit: Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum. *Gen.* 50. 19.

Cum Samuel Heli ſacerdoti ſtatutam Dei pœnam ob malam educationem filiorum indicaſſet, reſpondit Heli: Dominus eſt; quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat. 1. *Reg.* 3. 18

Deus hoc teſtimonium perhibuit David regi: Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. *Actor.* 13. 12

David, cum in perſecutione filii ſui Abſalonis de Jeruſalem fugere coactus fuiſſet, dixit ad Sadoc ſacerdotem: Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me — Sin autem dixerit mihi: Non places: præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe. 2. *Reg.* 15. 25

Tobias, cum cognati ejus irridebant viam ejus, dicentes: Ubi eſt ſpes tua &c. increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: quoniam filii ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. *Tob.* 2. 15

Idem Tobias, in omnibus ſibi illatis injuriis, convertit ſe ad Deum, dicens: Et nunc Domine, ſecundum voluntatem tuam fac mecum. *Ibid.* 3. 6

Job ad omnia mala ſibi illata nihil aliud reſpondit, quam hoc: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum: *Job* 1. 21

Judas Machabæus ſuos adhortatus vel ad victoriam, vel ad glorioſam mortem in bello contra hoſtes ſuſcipiendam, adiungit: Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. 1. *Mach.* 3. 60

Judæi in Jeroſolymis ſcribunt Judæis in Ægypto: Et det vobis (*Deus*) cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem, corde magno, & animo volenti. 2. *Mach.* 1. 3

Paulus de Chriſto Domino affirmat: Ideo ingrediens mundum dicit — Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. *Hebr.* 10. 5

Chriſtus Dominus per totam vitam ſuam opere ipſo comprobavit teſtimonium quod de ſeipſo dedit; Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus. *Joan.* 4. 34

Idem, ad aſpectum amari calicis ſuæ paſſionis, ita orabat ad Patrem: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum a me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. *Luc.* 22. 42

TI-

TITULUS XIV.

Reſpectus.

Reſpectus humanus.

AAron, ſummus ſacerdos, cum ab eo populus poſtulaſſet, ut Deum illis faceret, ex mero reſpectu humano ejus iniquiſſimis poſtulatis annuit, & formavit vitulum aureum, quem Iſraelitæ adorarunt. Exod. 32. 4

David non ceſſavit ſaltare coram arca, etiamſi rideretur a Michol conjuge ſua. 2. Reg. 6. 16

Salomon, ut placeret uxoribus & concubinis ſuis idololatris, erexit templa & ſtatuas idolorum, eiſque ipſemet thus adolevit, & ſacrificia obtulit. 3. Reg. 11. 8

Daniel non curat edictum regis, quo cultus veri Dei prohibebatur, ſed pergit, etiam apertis feneſtris, *ut ab omnibus conſpici poſſet, adorare Dominum Deum ſuum, ſicut ante.* Dan. 6. 10.

Tobias, cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium (*ſepoſito omni humano reſpectu*) ſed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael. *Tob.* 1. 5

Nemo tamen palam loquebatur de illo, *Chriſto Jeroſolymis, propter metum Judæorum, licet multi eum agnoverint pro magno Propheta, & vero Meſſia.* Joan. 7. 13.

Cæcus natus a Chriſto ſanatus palam confitetur Chriſtum, & miraculum ab eo patratum, licet jam conſpiraſſent Judæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret, & hunc ipſum excommunicaverint. Non vero ſic parentes ejus, qui timebant Judæos. Ibid. 9

Pilatus, licet agnoverit innocentiam Chriſti, conſenſit tamen in ejus mortem, ut audivit: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. *Ibid.* 19. 12

Sic etiam Pontifices & Phariſæi conſpirant in necem Chriſti, dicentes: Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. *Joan.* 11. 48

Herodes jubet amputari caput Joannis, ut non contriſtaret filiam ſuam ſaltatricem. Marc. 6. 26

Apoſtoli libere prædicant Chriſtum & ejus doctrinam, advocati autem in concilium, & propterea objurgati, reſpondent: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. *Actor.* 5. 29

Herodes Agrippa, poſtquam Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns, quia placeret Judæis, appoſuit, ut apprehenderet & Petrum. *Ibid.* 12. 2

Volens autem gratiam præſtare Judæis Felix (*præſes Judææ*), reliquit Paulum vinctum; *licet agnoverit innocentem.* Ibid. 24. 27

TITULUS XV.

Reſurrectio.

Reſurrectio generalis prædicitur & certiſſima eſt.

SCio enim quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. *Job* 19. 25

Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in pulvere: &c. *Iſa.* 26. 19

Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt. *Ibid.* 66. 14

Vidit Propheta campum plenum oſſibus — *Ezech.* 37. 1. & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam. Et vidi & ecce ſuper ea nervi & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper — v. 7. & ingreſſus eſt in ea ſpiritus & vixerunt: ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde. v. 10

Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant ſemper. *Dan.* 12. 2.

In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt a Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. *Matt.* 22. 30. *Vide idem* Luc. 20. 35

Retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum. *Luc.* 14. 14

Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28

Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. *Ibid.* 6. 40

Dicit Jeſus ad Martham: Reſurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die. *Ibid.* 11. 23

Inquit Petrus, Spem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram juſtorum & iniquorum. *Actor.* 24. 15

Si autem Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis,

vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? 1. *Cor.* 15. 12. *Vide totum caput hac materia pulcherrimum.*

Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis. *Philipp.* 3. 11

Hoc autem vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. 1. *Theſſ.* 4. 14

Et vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, &c. *Apoc.* 20. 12

Reſurrectio ſpecialis ſive reſuſcitatorum exempla.

RAptus Henoch in cælum, eſt certiſſimum & infallibile reſurrectionis argumentum. Gen. 5. 24. Eccli. 44. 16. Hebr. 11. 5

Item Raptus Eliæ curru igneo. 4. Reg. 2. 11

Filius viduæ Sareptanæ oratione Eliæ reſuſcitatur. 3. Reg. 17. 22

Item filius Sunamitidis oratione Eliſei. 4. Reg. 4. 33.

Injectus quidam mortuus in ſepulcrum Eliſei ad contactum oſſium ejus reſuſcitatur. Ibid. 13. 21

Exercitus grandis nimis & campus plenus oſſium reſuſcitantur. Ezech. 37. 1.

Filia Jairi mortua, a Chriſto reſuſcitata. Matt. 9. 25

Item Filius Viduæ in Naim. Luc. 7. 15.

Item Lazarus quatriduanus in ſepulcro reſuſcitatus. Joan. 11. 43

Paſſionis Chriſti tempore multi reſuſcitati. Matt. 27. 52

Tabitha Joppenſis mortua a Petro excitata. Actor. 9. 40

Item Eutychus a Paulo excitatus. Ibid. 20. 10

Reſurrectio Chriſti. Vide Chriſtus.

Reſurrectio mortuorum, & carnis ad gloriam facta mutatio.

EGo ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum. *Exod.* 3. 6

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei? *Job.* 14. 13

Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. *Ibid.* 19. 26

Quia in diem perditionis ſervatur malus, & ad diem furoris ducetur. *Ibid.* 21. 30

Vivent mortui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus, & terram Gigantum detrahes in ruinam. *Iſa.* 26. 19. Cap. 66. 14. Dan. 12. 12

Et dixit (*Dominus*) ad me: Vaticinare ad ſpiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad ſpiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant. *Ezech.* 37. 9

Et dixit Dominus piſci: & evomuit Jonam in aridam. *Jonæ* 2. 11. Sophon. 3. 8

Et reſuſcitabo mortuos de locis ſuis, & de monumentis educam illos, quoniam cognovi nomen meum in Iſrael. 4. *Eſdr.* 2. 16

Judicium enim poſt mortem veniet, quando iterum reviviſcemus: & tunc juſtorum nomina parebunt, & impiorum facta oſtendentur. *Ibid.* 14. 35

Et in ultimo ſpiritu conſtitutus (*Eleazarus*) ſic ait: Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. 2. *Mach.* 7. 9. Et cum jam eſſet ad mortem, ſic ait: Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare a Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit. v. 14. *Deus* ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam. v. 23

In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem: & interrogaverunt eum, dicentes, &c. *Matt.* 22. 23. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt a Deo, dicente vobis. (Exod. 3. 6.) Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum. v. 31. Luc. 20. 35

Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic & Filius, quos vult, vivificat. *Joan.* 5. 21. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, &c. v. 28.

Hæc autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. *Ibid.* 6. 39. Act. 24. 15

Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die. *Ibid.* 11. 24

Chriſtum docet Apoſtolus a mortuis reſurrexiſſe, & noſtram aſtruit hic Apoſtolus reſurrectionem ſecundum animam & corpus. 1. Cor. 15

Qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit. 2. *Cor.* 4. 14

Scimus enim: quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædifica-

ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2. *Cor.* 5. 1

Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. *Coloſſ.* 3. 4

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent 2. *Theſſ.* 4. 12. Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. v. 15. 2. Tim. 2. 11. Philip. 3. 21. *&* 4. 3

Et vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius Liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum. *Apoc.* 20. 12

Divina potentia conſummatur.

VIvent mortui, interfecti mei reſurgent. *Iſa.* 26. 19

Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris, populus meus; & inducam vos in terram Iſrael. *Ezech.* 37. 12

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28

Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die: *Ibid.* 6. 39

Ego ſum reſurrectio, & vita, *Ibid.* 11. 25

Quod ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Rom.* 8. 11

Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. 1. *Cor.* 15. 20

Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. 2. *Cor.* 4. 14

Si enim credimus, quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo. 1. *Theſſ.* 4. 13

Pro meritorum conditione variatur.

ET multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper. *Dan.* 12. 2

Qui autem docti fuerunt, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *Ibid.* v. 3

Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus. *Rom.* 6. 5

Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgent mortui? qualive corpore venient? Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. 1. *Cor.* 15. 35

Stella enim a ſtella differt in claritate: Sic & reſurrectio mortuorum. *Ibid.* v. 41

Noſtra autem converſatio in cælis eſt: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia. *Philip.* 3. 20

Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. *Coloſſ.* 3. 4

Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus. 1. *Joan.* 3. 2

T I T U L U S XVI.

Revelationes. *Vide & viſiones & Apparitiones.*

CUm autem eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum: & ait: Noſter es, an adverſariorum? *Joſue* 5. 13

Contingit autem per univerſam Jeroſolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes armatos, &c. 1. *Mach.* 5. 2

Sed cum vehemens pugna eſſet, apparuerunt adverſariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præſtantes. *Ibid.* 10. 29

Cumque pariter prompto animo procederent (*Machabæus cum ſociis*) Jeroſolymis apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis haſtam vibrans. *Ibid.* 11. 8

Reverentia. Vide Honor.

Rex. Vide ſupra, Regnum.

Rixa. Vide Diſcordia.

T I T U L U S XVII.

Robuſtorum exempla.

NEmrod cœpit eſſe potens in terra. Et erat robuſtus venator coram Domino, &c. *Geneſ.* 10. 8

Sed percuſſerunt (*Iſraelitæ*) Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robuſtos & fortes viros, nullus eorum evadere potuit. *Judic.* 3. 29

Vide ibi fortitudinem Samſonis, & lege. Ibid. 14. *&* 15. *&* 16

Et ſic factum eſt, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diverſis locis, eſſent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptiſſimi. *Ibid.* 20. 46

Cis Pater Saulis erat fortis robore. 1. *Reg.* 9. 1

Et reſpondens unus de pueris, ait (*Saul*): Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem, ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum --- & Dominus eſt cum eo. *Ibidem* 16. 18

Dixitque David ad Saul: Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos: Nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus, *cur non & Goliath in fortitudine Dei? Ibid.* 17. 34

Sic & David robuſtum Goliath devicit. 1. *Reg.* 17. 49

Vide ibi illuſtrem catalogum & notabilem virorum valde fortium & eximie robuſtorum virorum. 2. *Reg.* 23. 8. *item* 1. Paral. 11. 10. 2. Mach. 12. 27

Fueruntque filii Ulam viri robuſtiſſimi, & magno robore tendentes arcum. 1. *Par.* 8. 40. *Vide &* cap. 9. 13

Sed & de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis, & veloces, quaſi capreæ in montibus. *Ibid.* 12. 8

S

Sabbatum. Vide ſupra in Feſto Sabbati.

T I T U L U S I.

Sacerdos.

Sacerdotum officia.

SAnctificabo & tabernaculum teſtimonii cum altari, & Aaron cum filiis ſuis ut ſacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 29. 44

Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuave fragrans, mane, &c. *Ibid.* 30. 7

Arreptiſque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. *Lev.* 10. 1. Locutuſque eſt Moyſes ad Aaron: & ad Eleazar, & Ithmar, filios ejus: Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini, & ſuper omnem cœtum oriatur indignatio. v. 6. Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. v. 9.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen: loquere ad ſacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur ſacerdos in mortibus civium ſuorum, &c. *Ib.* 21. 1 Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerent, & ideo ſancti erunt, &c. v. 6. Sint ergo ſancti (*Sacerdotes*) quia & ego ſanctus ſum, Dominus, qui ſanctifico eos, &c. v 8. *per totum caput. Vide & totum* c. 22.

Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, & lucidum ad concinnandas lucernas jugiter, extra velum teſtimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a veſpere uſque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus veſtris. *Ibid.* cap. 24. 2

Aaron autem & filios ejus conſtitues ſuper cultum ſacerdotii. Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur. *Ibid.* 24. 2. Cap. 4. v. 5. *&* v. 11. *&* v. 24

Filii autem Aaron ſacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. *Num.* 3. 10

Dixitque Dominus ad Aaron: Tu & filii tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarii: & tu & filii tui ſimul ſuſtinebitis peccata ſacerdotii veſtri. *Ibid.* 10. 8. Tu autem & filii tui cuſtodite ſacerdotium veſtrum: & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum ſunt, per ſacerdotes adminiſtrabuntur; ſi quis externus acceſſerit, occidatur. v. 7.

Accedentque ſacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut miniſtrent ei, & benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum, omne negotium ut quicquid mundum vel immundum eſt, judicetur. *Ibid.* 18. 1. *Vide &* c. 20. 2

Et elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, ut aſcenderet ad altare meum, adoleret mihi incenſum, & portaret Ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia